

audire cum devotione. Ad quod nos hortatur beatus Augustinus super illo verbo beati Matthaei: 'Panem nostrum cotidianum da nobis hodie', dicens sic: 'Si cotidianus est panis, cur per annum illum sumat homo? Accipe cotidie, quod cotidie tibi prosit, sic vive, ut cotidie merearis illum accipere. Qui enim non meretur cotidie, non est dignus post annum'. Exemplum patet ad oculum: Qui heri aut nuper accessit, magis aptus est ad celebrandum hodie, quam si diu abstinuisset, quod clarius et levius singula confitetur nec irretitus est multis et magnis criminibus. Et sic cotidie accedens prope¹ deum et animae² suae salutem et suorum semper magis se custodit a peccatis, ex quo cras et sequenti die intendit celebrare. Et etiam ipsum sacramentum ex se tantae est virtutis, quod custodit eum a multis peccatis et etiam peccatorum occasionibus. Quo ad supradictam beati Augustini exhortationem cotidie accedendi dicit beatus Ambrosius in libro de sacramentis³: 'Qui vulnus habet, medicinam requirit. Vulnus habemus, quod sub peccato sumus. Medicina summa est istud caeleste sacramentum; si sanguis Christi in remissionibus funditur peccatorum, debeo illum semper accipere, ut mihi semper donentur peccata. Et quod semper pecco, semper debeo habere medicinam'. Haec Ambrosius.

Querat quis, quando accedere debeo. Respondit beatus Augustinus⁴ dans nobis formam, quando licite possumus accedere, dicens: 'Eukaristiae communionem cotidie accipere nec laudo nec (f. 249) vitupero, sed cuiuslibet conscientiae iudicio relinquo. Omnibus tamen dominicis diebus hortor, si mens in affectu peccandi non est'. Glosa ibidem: 'Sed quando dicis, quod mens non est in affectu peccandi? Credo, quod quando homo proponit firmiter abstinere a quolibet peccato mortali, et nisi sit in proposito umquam peccandi, debet semper accipere corpus Christi. Si autem quis in affectu magis peccandi sit, gravari magis dico quam purificari. Sed si quis peccato mordeatur, peccandi tamen de cetero non habeat voluntatem, id est, quod si non consentiat, licet peccati temptationes sentiat et parvos motus, ymmo delectatio sequatur, quae reprimenda est, ne praevaleat per consensum, talis concitaturus(?) satisfaciet lacrimis et oratione et confidens de dei miseratione accedat ad eukaristiam intrepidus et securus, si eum peccata mortalia non gravant'. Ecce satis palam regula beati Augustini,

1) 'propter' zu lesen? Red. 2) 'et' folgt Hs. 3) Opera, Venetiis 1751, III, 476. 4) Opera, Antwerpiae 1700, II, 94.